

Deus Israelitis in deserto, cum panem de caelo dedit eis, angelorum manibus confectum, ob cuius beneficii novitatem et magnitudinem exclamabant præ stupore: *Manhu*, id est, quid est hoc? Item Danieli in lacu leonum per Habacuc de longe adductum angeli ministerio. Quod maxima gratitudine agnovit Daniel dicens: *Recordatus es mei Deus, et non dereliquisti diligentes te.*, Dan. XIV. Sed nihil hæc sunt omnia, si cum ea magnificentia comparemus, qua cibatur Deus hominem: invitatur enim hominem ad mensam suam, ubi seipsum ei apponit, et tradit cibum, quo fruuntur et delectantur beati in caelo, de caelo ad eum descendens. Quanta hæc dignatio? Quis hanc gratiam non maximo sibi honori ducat seque ea indignum clamet? Miphiboseth filius Jonathæ invitatus a Davide, ut comederet cum ipso in mensa semper: *Quis ego sum, inquit, servus tuus, quoniam respexisti super canem mortuum similem mei?* II. Reg. IX. Quid dicemus nos, qui ad mensam Christi plusquam regiam invitati sumus? Deinde quis polutus audeat accedere? Si enim Judæi scelus putabant ad mensam sedere non lotis manibus, ut Matth. XV. legimus: quanto gravius erit polluto corde Christum suscipere!

VI. Deus etiam quodammodo est, juxta id Psal. LXXXI. *Ego dixi, dii estis.* Primo enim intellectum et ingenium habet, quibus omnia pene investigare et invenire potest, cæli et terræ ambitum, stellarum magnitudines, cælorum cursum, eclipses, omnes scientias et artes; adeo ut aliqui modum adinvenierint, quo totam terram, si modo extra eam in loco aliquo consistere possent, unica manu moverent: et sic homo aliquo modo omnipotens dici potest. Secundo, habet vires et potestatem vincendi ac ligandi dæmones, quemadmodum fecere Sancti Antonius, Macharius (ad quem exclamabat dæmon: *Magnam vim a te patior, Machari, etc.* In vitis Patrum I. VII. c. XIII.) Benedictus, Bernardus alique, imo et exorcistæ in Ecclesia primitiva. Tertio, data est potestas sacerdotibus conferendi aliis per sacramenta gratiam, et cælum aperiendi per absolutionem, alios illuminandi, etc. Sic enim instar Dei inspirant peccatoribus vita carentibus spiraculum vitæ; id est, gratiæ, quæ est communicatio quædam divinitatis. Quarto, habent plurimi sancti potestatem faciendi miracula, quandoque majora quam ipse Christus fecerit, cæcos illuminandi, ægros curandi, serpentes calcandi, mortuos resuscitandi, etc. quæ creaturarum vires longe excedunt. Quinto, data est multis sanctis auctoritas et potestas coercendi rebelles Deo tyrannos, uti Moysi in Pharaonem: quemadmodum Exodi VII. dixit Deus: *Ecce constitui te Deum Pharaonis*: Eliæ in Achab regem: Joan-

ni nostro in Herodem: S. Basilio in Valentem imperatorem: Ambrosio in Theodosium et Justinam imperatricem: Leoni in Attilam: Athanasio in Constantinum imperatorem, etc. Quæ omnia quantam hominis dignitatem spirant, quis dicere sufficit? Audite demum S. Chrysostomum, hom. XV. in ep. I. ad Timoth. sic loquentem: «Vide quanto nos affectu honore (Deus) hujusmodi nobis potestate permittit. Feci ego, inquit, cælum et terram: eadem conditionis facultate te dono, ut terram facias cælum. Feci ego corpus pulchrum, do tibi præstantius officium, tu animam pulchram. Dixi ego et produxi herbam fœni, et omne fructiferum lignum; die tu quoque: Producat hæc terra fructum suum, et proderit, quodcumque operari volueris. Finxi draconem et illudo ei, diabolo scilicet; nec tibi hanc invidi potestatem; illude illi tu quoque si vis, potes enim eum ut passerulum capere. Oriri facio solem super bonos et malos; imitari me tu, bonaque tua bonis et malis communica. Accendi in cælo luminaria; accende et tu clariora illis: nam et hoc potes; iis qui in errore sunt, veritatis lumen accende. Dominus angelorum ego: itidem in sede regia, sede et tu necum, etc.»

VII. Hæres æternæ beatitudinis: quia ad nuptias Agni invitatus est, ut cum Christo super mensam ejus sedat in regno Dei in æternum: quo etiam vocat nos corporis nostri statura recta et cælo obversa. *Solam enim in terris cælestem plantam*, (inquit Philo. in lib. de eo quod deterius potiori insidiari solet) *fecit hominem, cæterarum in terra defixit capita, etc.* Unde, teste D. Ambrosio, dæmon homini invidere et insidiari cœpit, quod figuratus de limo electus est in cæli civem, unde ipse lapsus est. «Hinc etiam, ut ait Ferus (super illud: *Et fecit Deus firmamentum*) prius cælum ornavit quam terram, ad ostendendum quod quamvis etiam terra ad tempus hominis hospitium sit, tamen homo potissimum propter cælum possidendum est creatus.» Non tibi videtur magna dignitas, cum quis rex vel imperator alterum socium regni aliquem designat? At hoc nobis fecit Deus. Quando ergo tanta est humanæ conditionis dignitas et præstantia, videat unusquisque ne scelus turpitudine maculam illi aspergat. Quam turpis Constantinus Iconoclasta, qui cum imperatorem se audiret, interim tamen «Tantopere, inquit Theosterictus in Niceta, sordium et impurissimæ cujusque rei odore malo delectabatur, ut animalium brutorum stercoribus se illiniret, et eos, qui cum illo erant, id facere juberet?» Unde Stercorius et Caballinus dictus est, quod fimo et lotio caballorum recrearetur. At si tu, quicumque es, neglectis solidis et cælestibus bonis, terrena tantum secteris; nihilo magis sapis:

stercore et luto nobilitatem tuam conspurcas, etc.

CONCIO II.

DE MORTE JUSTORUM PRETIOSA.

I. Justi libenter moriuntur. — II. Non horrent judicium. — III. Cælum ingrediuntur lætabundi.

THEMA.

Videbit omnis caro salutare Dei. Luc. III.

Factum est jam, auditores, quod prædixit Isaias in hodierno Evangelio: *Videbit omnis caro salutare Dei*: sed et rursus fiet. Factum est in primo Christi adventu, quando omnes qui voluerunt, carnalibus oculis Christum viderunt. Fiet vero iterum in secundo ejus adventu, quamvis maximo discrimine: nam videbunt eum justi maximo cum gaudio; reprobi maximo cum dolore; uti scribit S. Gregorius hom. XX. in Evang. «Ubi cum apertis cælis, inquit, ministrantibus Angelis, considentibus apostolis in sede majestatis suæ Ch istus apparuerit, omnes hunc et electi et reprobi pariter videbunt, ut et justis munere retributionis sine fine gaudeant; et injusti in ultione supplicii in perpetuum gemant.» Unde idem sanctus, hom. XXI. mox seq. secundum Christi adventum vult significatum per angelum illum, qui testis resurrectionis Christi aspectu suo fulgureo terruit custodes sepulchri, et vestimento suo niveo recreavit sanctas mulieres juxta id Matth. XXVIII. *Erat aspectus ejus sicut fulgur, vestimenta autem ejus sicut nix.* «In fulgure enim terror timoris est, in nive autem blandimentum candoris,» ait: quasi in generali resurrectione, simili aspectu Christus sit venturus. Idem designatum esse per columnam illam Exodi XIII. subdit statim dicens: «Unde recte quoque populum per desertum gradientem, columna ignis in nocte, et columna nubis præibat in die. In igne enim terror est, in nube autem visionis lenis blandimentum: dies vero vita justis, et nox accipitur vita peccatoris. Unde et conversis peccatoribus Paulus dicit: *Fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino.* In die ergo per nubem columna monstrata est, et in nocte per ignem; quia omnipotens Deus et blandus justis, et terribilis apparebit injustis. Istos in judicio veniens per lenitatis mansuetudinem demulcet; illos vero per justitiæ districtiorem terret.» Sic ille. Ergo Christus bene morientibus apparebit blandus, male morientibus terribilis. Vidimus jam alibi, quibus morientibus terribilis appariturus sit: videamus nunc morientes, quibus blandus futurus. Tres invenio portas, per quas ingrediuntur justis, cum ex hoc sæculo migrant: portam mortis, portam judicii, portam cæli. Per primam intrant libenter, per

secundam confidenter, per tertiam hilariter. In prima porta premere aliquem posset amor mundi, cupiditas vivendi, negotia sæculi, corporis separatio, insidiæ dæmonum, dolores; in secunda metus judicii; in tertia metus gehennæ: sed nihil horum justos perturbat.

I. Per primam libenter intrant primo, quia nihil in mundo ita amarunt, quod non libenter perdere semper parati erant. Quidquid in mundo habebant, non magis illis adhæsit, quam vestimentum, quod facile exuitur, sine dolore aut molestia. Aliud est pellem corporis, aliud vestem exuere: hoc fit absque dolore, illud non nisi cum ingenti cruciatu. Qui mundo affixi sunt, quasi pelle ipsa spoliuntur cum moriuntur. Et quantus horum erit dolor? *O mors, quam amara est memoria tua homini pacem habenti in substantiis suis?* Ait Eccl. c. XLVI. Contra qui nil in mundo amant, saltem impense, non difficiliter quam veste se expoliant mundi bonis. Sic Reginaldus Polus card. cum audisset regem Angliæ Henricum octavum quinquaginta aureorum millia constituisse ei, qui necem illi inferret, miratus regis amentiam dixit, jam dudum se vitæ hujus tadio affectum, mortem cupivisse corporisque depositionem; et proinde cum Henricus tanto studio et incommodo illud ipsum efficere conetur, nihil aliud facere, quam si quis ire dormitum cupienti, vestem ipsam velit detrahere. Nic. Sander. l. I. de schism. Angl. De his dictum vult S. Ambrosius illud Apoc. XIV. *Beati mortui, qui in Domino moriuntur.* Scribens enim super eum locum, ait: «Quis mortuus mori potest? Nullus nisi prius animam accipiat. Illi sane sunt beati et illi mortui in Domino moriuntur, qui prius moriuntur sæculo, postea carni.»

Secundo, quia saturi sunt dierum, quos miseris plenos experti sunt in mundo. Quocumque enim se vertebant, videbant undique calamitates, Dei offensas, pauperum oppressiones, interitus quotidianos non tantum infidelium et hæreticorum, sed etiam multorum catholicorum; gemitus pauperum, querelas divitum, odia, inimicitias, livores, etc. Vident denique *Totum mundum*, ut ait S. Joannes, epist. I. cap. V. *in maligno positum*, id est, plenum omnibus sceleribus; ubi aut mali tantum sunt, aut boni a malis premuntur. Sic Abraham, Gen. XXV. dicitur mortuus esse *plenus dierum*, id est, satur vivendi, ut habent Hebræi, et cupiens dissolvi, satur ergo dierum fuit, quoniam dies mali sunt, ut ait Apost. ad Ephes. V. et nepos Abraham Jacob, Gen. XLVII. *Dies peregrinationis vitæ meæ centum triginta annorum sunt parvi et mali*, id est, pleni ærumnis, periculis, tentationibus. Contra reprobi nunquam moriuntur pleni seu saturi dierum; sed in tempore non suo, ut ait

Sapiens, quia nunquam est illis commodum tempus moriendi. Unde S. August. tract. IX. in Epistolam Joannis: «Sunt homines, inquit, qui cum patientia moriuntur: sunt autem quidam perfecti, qui cum patientia vivunt. Qui adhuc desiderat vitam istam, quando illi venerit dies mortis, patienter tolerat mortem: qui autem desiderat dissolvi et esse cum Christo, non patienter moritur, sed patienter vivit, delectabiliter moritur, etc.»

Tertio, quia pergunt de labore ad requiem, de bello ad pacem. Neque enim frustra mors toties vocatur somnus ab Apostolo, necnon a Christo, cum dixit Lazarum et puellam dormire. Et a S. Luca, cum scripsit sanctum Stephanum obdormisse in Domino, Actor. VII. et communiter a Christianis, qui sepulturas Christianorum vocant cœmeteria, id est, dormitoria. Quemadmodum enim is, qui totam diem laboribus impendit, per somnum suaviter quiescit; ita sancti post varios vitæ labores exantlato s, per mortem conquiescunt veluti per somnum. Unde Apoc. XIV. dicitur: *Beati mortui, qui in Domino moriuntur, amodo jam dicit spiritus ut requiescant a laboribus suis.* Jam vero *Dulcis est somnus operanti,* ait Eccl. c. V. *sive parum comedat sive multum: saturitas autem vivit non sinit eum dormire.* Pari modo dulcis est somnus mortis bene operanti justo, laboribus fatigato, sive pauper fuerit, sive dives: iis vero qui nullis laboribus vacarunt, difficilis et inquietus. Nec minor pax, quam requies post tot bella tentationum excipit homines justos, qui nunquam sine pugna sunt; vel enim habent hostes externos, vel ubi illi desunt, internos. Hanc optat justo Isa. c. LVII. dicens: *Veni at pax: requiescat in cubili suo, qui ambulavit in directione sua.* Hanc defunctis nos precamur, cum dicimus, *Requiescant in pace.* Ad istam ergo pacem anhelant omnes justis, quia ea finem dat omnibus illorum certaminibus.

Quarto, quia de carcere liberati evolvunt libertatem veluti aviculæ: carcer enim illis corpus necnon et mundus est. Duo captivi erant in carcere Pharaonis, pistor et pincerna, et uterque inde ereptus est, sed iste ad vitam et dignitatem, ille ad mortem et patibulum. Quam dispar utriusque exitus, tam dispar et egrediendi voluntas. Invitus utique pistor exiit e carcere, quia somniabat se corvorum fore pabulum. Gaudens vicissim et gestiens exiit pincerna, sed quia somniabat se restituendum pristinae dignitati. Pistorem opus erat extrahere e carcere; pincerna ultro prosiliit. Ita nimirum justis ultro et cum gaudio deserunt sui corporis ergastulum; reprobi non ita, sed cum horrore et coacti. Causam optas? Quia illi somniant, animo sibi præsentante, ituros se ad vitam et aulam

regis æterni; hi contra se rapiendos ad furcam tartaream, in pabulum corvorum dæmonum. Hinc peccatores quasi correpti ad mactandum porci, non tam moriuntur, quam mori coguntur. Justis contra mori dicuntur, et ad mortem se componere, uti Genesis, cap. XLIX. qui *Collegit pedes suos super lectulum et obiit*; et Moyses cui dixit Deus, Deuteronomii, cap. XXXII. *Ascende in montem et morere.* Non ait: *Morieris*; sed *Morere.* Sic ultro ingressus est sepulchrum suum Sanctus Joannes Apostolus. Sic dimitti veluti ex carcere petiit Sanctus Simeon, dissolvi Sanctus Paulus, educi Sanctus Franciscus, qui in illis psalmi verbis: *Educ de custodia animam meam, ad confitendum nomini tuo; me expectant justis, donec retribuas mihi,* migravit ad Dominum.

Quinto, quia moriuntur in pace et magna animi tranquillitate. Non enim metuunt dæmonum insidias, quia nihil habent, quod ab illis tolli queat. S. Hilariion incidens in latrones nihil metuebat, quia, *Nudus, aiebat, latrones non timet.* Hieronym. in vita. Similiter et justus non metuit in morte dæmones, qui nudus est et liber a peccatis et terrenis affectibus. Hinc S. Martinus moriens dæmonem adstantem increpans: *Quid hic adstas, cruenta bestia?* inquit: *nihil in me funesti reperies.* Deinde non premunt illos curæ temporales animique perturbationes, quibus e contra obruuntur peccatores: unde ex hac parte cum Moysse et Aarone et moriuntur in monte, id est, loco quieto et amœno; mali contra in valle lacrymarum, perturbantur, tentationum. Hinc multi sancti viri cantantes obierunt. Simeon justus viso Domino mori cupiens, imo quasi jam moriens, cecinit: *Nunc dimittis servum tuum, Domine, secundum verbum tuum in pace.* Nimirum in pace moriuntur justis, peccatores vero in bello perturbationum, quæ exsurgunt e timore mortis et amore vitæ, amicorum, mundi, e doloribus corporis et infestatione maligni hostis, etc. S. Franciscus hymnos et laudes Dei cantabat in agone, ut vidimus. Gerardus S. Bernardi frater moriens cantabat: *Laudate Dominum de cœtis, laudate eum in excelsis*; ut testatur S. Bernardus in sermone ejus funebri. Eundem psalmum canebat moriens B. Petrus Cœlestinus, qui, deposito pontificatu, in eremum rediit, et in illius psalmi ultimis verbis: *Omnis spiritus laudet Dominum: vitam clausit*. Cornel. a Lap. in Apoc. cap. XIV. S. Nicolaus Tolentinas sex mensibus ante obitum angelorum cantum audivit, unde in extremo spiritu voces fundebat gestientis et lætantis. Causam rogatus, ait se audivisse vocem Christi: *Euge serve bone et fidelis, intra in gaudium Domini tui.* In his verbis spiritum reddidit.

Sexto, quia dolores mortis ferunt æquanimitate. Recreantur enim primo divinis consolationibus, quibus subinde Deus opem fert illis super lectum doloris eorum, et versat ac componit stratum eorum, ut mollius cubent, juxta id Psalm. XL. *Universum stratum ejus versasti in infirmitate ejus.* Versat autem attollendo ægrum consolationibus, quibus patienter et cum gaudio ferat ægritudinis molestias. Secundo, suffragiis Ecclesiæ et sacramentorum virtute, quæ quo in meliorem ac magis dispositam terram ceciderint, eo uberiores fructus gignunt; et forte eo respexit David, cum dixit Psal. IV. *A fructu frumenti, vini et olei sui multiplicati sunt,* quasi dicere vellet: *A fructu Eucharistiæ et S. Unctionis aucti sunt, seu creverunt: In pace in idipsum (id est, pariter) dormiam et requiescam,* q. d. sic vellem et ego mori. Tertio, quandoque sanctorum et angelorum bonorum præsentia et visitatione. Ita enim S. Gregorius lib. IV. dial. cap. XI. cum recensisset, qua ratione Ursinum presbyterum morientem visitarint Petrus et Paulus principes apostolorum, et ipse responderit: *Venio, venio;* subdit: «*Quod plerumque contingit justis, ut in morte sua sanctorum præcellentium visiones aspiciant; ne ipsam mortis suæ pœnalem sententiam pertimescant.*» Ita S. Musa virgo, videns Mariam Virginem multum cum virginibus ad se venientem respondit: *Venio, Domina, etc.*

II. Per secundam portam intrant confidenter: quia obdormiunt in Domino, hoc est, in gratia et quasi sinu Dei tamquam amici ejus, juxta id Apoc. XIV. *Beati mortui, qui in Domino moriuntur.* Jam sicut angelus Christi sepulchro exterritis custodibus, mulieres allocutus dixit, Matth. XXVIII. *Nolite timere vos:* quasi diceret «*Paveant illi, qui non amant adventum superiorum civium: pertimescant, qui carnalibus desideriis pressi ad eorum se societatem pertinere posse desperant: vos autem cur pertimescitis, quæ vestros concives videtis?*» ait S. Gregorius, hom. XXI. in Evang. Ita omnes justis quod magnopere timeant non habent, cum ad Christum judicem pergunt. Qui noctu ad civitatem veniunt, et quærentibus præsidariis respondere possunt: *Amici, amici sumus, secure ad illam accedunt;* ita qui ad cives cœli pergunt, sic respondere queant: *Amici vestri sumus, quid temere possunt?* Secundo, quia intelligunt se in conspectu Dei non apparituros vacuos, sed plenos bonis operibus. Moriuntur enim pleni dierum, sicut Abraham, Gen. XXV. quia ut ait Ambrosius: *Plenitudinem vitæ justorum habet, inanes vero sunt dies malorum.* Plenitudinem, inquam, bonorum operum, quæ sibi corrogarunt boni in diem adventus Domini.

Magno et intrepido animo expectavit Joseph cum suo Pharaone annos sterilitatis, quando duos filios vocavit Manassem et Ephraim, id est, oblivionem et incrementum, quod videlicet oblitus esset laborum suorum, et creverit in Ægypto, Gen. XLI. quia sibi jam providebat de frugum abundantia pro futura sterilitate: ita etiam justis intrepide expectant diem judicii sterilem, in quo maxima industria requirentur fruges bonorum operum, quia sibi de his jam ante providerunt. Ad hæc quemadmodum Jacob præmisit in occursum fratris sui primogeniti Esau, munera, oves et boves, etc. ad placandum illum, Gen. XXXII. ita etiam justis in occursum Christi (qui est primogenitus, frater noster) in judicio sibi obviaturi, præmiserunt bona sua. Sciendum enim opera bona præcedere et sequi justos ad judicium; præcedunt merito, sequuntur præmio. Unde Apoc. XIV. ait Joannes: *Beati mortui, qui in Domino moriuntur, opera enim illorum sequuntur illos,* (vel comitantur, ut habent Græca) veluti famuli videlicet Dominum stipantes. Quare sicut Esau visa fratris familia, potentia et munificentia cucurrit in amplexum ejus; sic faciet Christus servis, imo fratribus suis. Ibi cum magnificentia repræsentabunt angeli Christo opera justorum, velut vestem Martini, qua contextit pauperem; tunicas et vestes, quas sua manu confecit et pauperibus dedit Dorcas, Actor. IX. calicem aureum S. Henrici imp. Qui monetam habet peregrinæ nationis, longe audentiore animo ad eam proficiscitur, quam qui non habet. Monetæ regni cœlestis sunt opera bona.

III. Per tertiam portam hilariter. Primo enim transeunt de austera hieme ad optatissimum et amœnissimum ver; siquidem Dominus, Matth. XXIV. tempus illud quo justis post hujus sæculi miserias transibunt ad beatitudinem, comparavit veri, dicens: *Ab arbore ficis discite parabolam. Cum jam ramus ejus tener fuerit et folia nata, scilicet quia prope est aestas, etc.*

Secundo. Transeunt per Jordanem in Palestinam, id est, per fluvium judicii ad terram viventium. Unde S. Bernard. cap. XV. de nat. et dignit. divini amoris, justorum mortem vocat pascha: *Hunc transitum,* inquit, *ad vitam miseris infideles mortem appellant, fideles autem quid nisi pascha? Quia moritur mundo, ut perfecte vivat Deo.*

Tertio. Quia transeunt a labore ad mercedem, a pugna ad victoriam et triumphum, a semente ad messem. Audi Job cap. VII. *Militia est vita hominis super terram, et sicut dies mercenarii dies ejus. Sicut servus desiderat umbram, et sicut mercenarius præstolatur finem operis sui: sic et ego habui menses vacuos (a labore scilicet) et noctes laboriosas enumeravi mihi: numeravit*

autem præ desiderio mercedis. « Qualis erit illa dies (ait S. Hieronym. epist. XVIII. ad Eustoch.) cum tibi Mater Domini occurret choris comitata virginis, cum post rubrum mare, submerso cum suo exercitu Pharaone, tympanum tenens præcinet responsuris: Cantemus Domino, gloriose enim honorificatus est, quum et ascensorem projecit in mare? Tunc Thecla in tuos læta volabit amplexus. Tunc et ipse Sponsus occurret, et dicet: Surge, veni proxima mea, speciosa mea, columba mea, quia ecce hiems transivit, pluvia abiit sibi. Tunc angeli mirabuntur et dicent: Quæ est ista prospiciens quasi diluculum, speciosa ut luna, electa ut sol? Videbunt te filia et laudabunt reginæ, et concubinæ prædicabunt. Tunc parvuli, de quibus in Isaia Salvator effatur: Ecce ego et pueri mei, quos dedit mihi Dominus; palmas victoriae sublevantes, consono ore cantabunt: Hosanna in excelsis. Benedictus qui venit in nomine Domini: Hosanna in excelsis. Tunc centum quadraginta quatuor millia in conspectu throni et sentrum tenebunt citharas, et cantabunt canticum novum, etc. Quotiescumque te vana sæculi delectaverit ambitio, quoties in mundo videris aliquid gloriosum, ad paradisum mente transgredere, esse incipe quod futura es, et audies a Sponso tuo: Pone me sicut umbraculum in corde tuo, sicut signaculum in brachio tuo. »

CONCIO III.

EXTREMI JUDICII SENTENTIA.

I. Formidanda ob integritatem iudicis. — II. Ob magnitudinem rerum quæ obtinentur vel perduntur. — III. Ob immutabilitatem. — IV. Ob efficaciam.

THEMA.

Vox clamantis in deserto. Luc. III.

Quid sibi vult, auditores, quod præcursor Domini vocem se clamantis, non clamantem dicit? Quis est iste clamans? S. Ambrosius in cap. III. Lucæ assertit esse ipsum Christum, cuius prænuntius fuit Joannes, sicut vox præcedit verbum. Ita est, auditores; sæpe in hoc mundo clamavit Christus Dominus ad revocandos ad se peccatores, et quidem usque ad ultimum spiritum, siquidem *Clamans magna voce expiravit*. Verum idem ipse magis adhuc clamabit in iudicio extremo. Clamabit, inquam, quia loquetur ad omnes gentes, quæ unquam extiterunt. Clamabit in deserto, quia in die illo totus mundus erit desertum extra vallem Josaphat: nullam domum, nullam maceriam, nullum passerem, nullam muscam usquam videre erit. Clamore deinde suo valles exaltabit, quando ad electos dicet: *Venite benedicti*; montes humiliabit, cum ad improbos dicet:

Discedite a me maledicti: denique in die illa *Videbit omnis caro salutare Dei*; Christum scilicet in carne, mundi totius iudicem. Quando ergo in processu illius iudicii ad decretum iudicis venimus, id nunc consideremus.

I. Formidabilis est hæc sententia. Primo a constantia et integritate iudicis, qui in dictanda et ferenda illa sententia ad solam attendet justitiam, adeoque nullis precibus, nullis lacrymis, nullis promissis, nullo emendationis et pœnitentiæ proposito, nulla sanctorum intercessione, ab æquo dimovebitur; nullius terrebitur nobilitate, nullius eruditione, nullius auctoritate, potentia, divitiis; nullius admittet excusationes. In humanis quidem iudiciis solent sæpe ista vim habere ad flectendos, vel etiam pervertendos iudices. Absolvuntur et liberantur e vinculis aliqui ob eorum preces et lacrymas, alii ob magnatum intercessionem, alii propter generis splendorem, quia reges, principes, nobiles: alii ob doctrinam et eruditionem, alii ob divitias. Sed nihil horum proderit, aut juvabit quidquam coram illo iudice. Sic enim eum peccatoribus iratum alloquitur in persona eorum Jeremias, Thren. III. *Nos inique egimus et ad iracundiam provocavimus: idcirco tu inexorabilis es. Operuisti in furore*, (hoc est, operuisti ira quasi velo faciem tuam, ne quemquam agnosceres, videres vel audires lacrymantem, obsecrantem, genua flectentem, sed ut sine respectu omnes reos cæderes) *et percussisti nos: occidisti, nec pepercisti: opposuisti nubem tibi, ne transeat oratio*. Tunc ergo verificabitur id de Christo, quod dixit servus piger domino suo nobili, Luc. XIX. *Timui te quia homo austerus es, tollis quod non posuisti, et metis quod non seminasti*. Cui respondit dominus, non negando se austerum esse, id est, fore in iudicio et exigendis rationibus, sed inferendo: *Sciebas quod ego homo austerus sum, tollens quod non posui et metens quod non seminavi, et quare non dedisti pecuniam meam ad mensam, etc.?* Ubi discimus nullam excusationem valituram in iudicio apud durum illum iudicem; proinde nobis attendendum esse, nec spem in excusationibus ponendam. Apud homines solent interdum locum habere etiam frivolæ purgationes, veluti si dicamus, nos esse sæculares, et in sæculo versari inter varia peccandi pericula et negotia externa, proinde non posse nos cavere ebrietatem, juramenta, execrationes, detractiones, etc. Ad hæc vitia nobis innata esse, vel longa assuetudine ita adhærere, ut exui non possint. Item plurimos esse, qui hæc faciant, imo communem consuetudinem, respondere poculis, jurare, execrari, fallere, mentiri, etc. Rursum alios gravius delinquere, egerare, blasphemare, ebrios rixari,

vomere, insanire, etc. nos vero nihil tale, etiam in ebrietate committere. Hæc, inquam, et similia nihil omnino flectent austerum illum iudicem, quem proinde hic summopere timere et sedula negotiatione nobis conciliare debemus.

II. A pondere et magnitudine rerum, quæ bonis et malis adjudicabuntur. Iudicia humana non possunt nisi de fortunis, corpore et vita decernere: at extrema illa sententia de summis et æternis bonis ac malis, corpus et animam concernentibus decernet. Non ibi agetur de limitibus, de stillicidiis, de restitutione pecuniarum; neque de existimatione, exilio, capite, etc. sed de rebus tanti momenti, quas nulla hominis cogitatio potest comprehendere; siquidem prolata sententia: *Ibunt reprobi in supplicium æternum, iusti autem in vitam æternam*, ut ait Dominus Matth. XXV. Primo ergo quod attinet ad sententiam electorum, exhibetur eis a Domino summus favor, gratia et amicitia, cum ad eum evocantur: *Venite*. Quantum est hoc bonum, vocari et recipi in amicitiam Dei? Exhibetur affluentia honorum omnium cum vocantur *benedicti Patris*; benedictio enim Dei includit omne bonum. Exhibetur eis regnum cælorum, adeoque cælum et omnia bona, quæ in cælo sunt: visio et fructio Dei, societas sanctorum, dotes corporum omnesque deliciae. Exhibetur autem pleno jure possidendum, et quidem duplici titulo, hæreditatis, cum audiunt: *possidete*; (Græce, tamquam hæreditatem possidete) et mercedis, cum additur: *Esurivi enim et dedistis mihi manducare, etc.* Exhibetur firmiter et perpetuo possidendum, in verbo illo, *possidete*. Quid majus alicui præstare Romanorum imperator posset, quam si eum amicissimum et consortem imperii sui eligeret? Sed quantum est hoc respectu illius, quod dat electis Deus? Quid enim hominis amicitia cum amicitia Dei? Quid terrenum et fluxum regnum respectu illius cælestis et æterni? Hoc igitur est dulce illud melos in auribus electorum, de quo Isaia XXX. dicitur: *Canticum erit vobis, sicut nox sanctificata solemnitatis* (qualis erat nox, qua Hebræi transierunt mare rubrum et submerso Pharaone cecinerunt: *Cantemus Domino, etc.*) *et lætitia cordis sicut qui pergit cum tibia aut intrat in montem Domini ad sortem Israel*. Hoc est illud manna absconditum, et calculus ille candidus quem vincentibus promisit Christus Apoc. II. dicens: *Vincenti dabo manna absconditum, et dabo illi calculum candidum*. *Manna*, quia inenarrabilem felicitatis dulcedinem continet; *absconditum*, quia latet nos in hoc sæculo, nec quisquam id sufficienter æstimare potest, nisi qui accipit. *Calculus candidus*, quia felicissimo suffragio (suffragia enim

calculis seu lapillis ferebantur, absolventia candidis, condemnantia nigris, juxta id Ovidii lib. XV. *Metamor.*

Mos erat antiquis niveis atrisque lapillis, His damnare reos, illis absolvere culpa.)

Non solum absolvet eos ab omni pœna et timore; verum etiam transcribet summæ felicitati. Cogitate hic, auditores, quanta sit electorum lætitia futura, cum vocem istam audient. Omnes procul dubio præ gaudio primo exsurgent, deinde in genua vel etiam in faciem procumbent, ut iudicem adorent, eique gratias agant, quod tantum bonum ipsius potissimum meritis et sanguine eis obvenit. Sane cum hunc calculum adhuc vivens accepisset S. Franciscus, revelationem videlicet suæ prædestinationis, totis octo diebus nihil aliud egit, quam perpetuo exclamare: *Laudetur Dominus Deus meus, ipsi gloria et honor sine fine*: ita ut horas etiam canonicas dicere oblivisceretur.

Quantum porro mellis sententia electorum continet, tantum e contra fellis habet sententia reproborum, ad quos conversus Iudex vultu terrifico dicit: *Discedite a me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus*. Ubi audis primo pœnam damni, seu ejectionis a conspectu Dei, cum ait: *Discedite a me*. Et quid est, amore Dei discedere vel ejici a Deo? Quis hoc nobis explicare queat? Dicat nobis Absalon, qui a facie patris optimi, Davidis, exclusus optavit potius interfici a patre, quam eo irato exclusus vivere. II. Reg. XIV. Dicat nobis Syllanus filius Manlii Torquati, qui cum Macedonia infeliciter administratæ convictus esset, et sententiam patris in se latam hanc audisset: *Filium meum et republica et domo mea indignum iudico, protinusque e conspectu meo abire jubeo*; tam tristi patris sententia percussus lucem ulterius intueri non sustinuit, suspendioque se proxima nocte consumpsit. Val. Max. lib. V. c. VIII. Dicant milites Alexandri Mammæi tumultuantes, qui cum a duce suo audirent hoc tonitruum: *Abite hinc ex Alexandri conspectu, Quirites, armaque e vestigio projicite*; adeo sunt perterriti, ut positis armis ac sagis non ausi sint in castra redire, sed huc illuc in alienas domos territi confugerint. Major. tom. III. Canic. coll. II. Dicat Turannius exactæ diligentia senex, ut scribit Seneca de brevitate vitæ cap. ult. qui post annum nonagesimum cum vacationem procurationis a Caio Cæsare ultro accepisset, componi se in lecto et velut exanimem a circumstante familia plangi jussit. Ita nimirum a mœstitia occupatus fuit, ut vivere non vellet, depositus ab officio. Quid erit igitur excludi a conspectu, amicitia et domo